De

# Claustris Svio-Gothicis,

Disquisitio Historico-Ecclestiastica,
cum Thesibus varii argumenti Theologicis,

cujus Particulam III

**Auctoritate Max. Ven. Theol. Ord. Lundens.**

*pro Examinibus Sacerd. et Pastor.*

p. p.

**PETRUS WIESELGREN,**

**Respondente**

CAROLO FR. HALLONSTÉN,
Scano.

**In Acad. Carol. Audit. Maj. die XXVIII Novemb. MDCCCXXXII.**



Londini Gothorum MDCCCXXXII.
Typis Berlingianis.

*Konungens*

*Trotjenare, Majoren och Riddaren*

*af Kongl. Svärds-Orden*

*Högädle*

*Herr* ***MATTHIAS WIDEGREN,***

Vördnadsfullt tillegnadt

af

C. F. HALLONSTÉN.

&c. Archi-Ep. Jacobus Erlandi, ut Rex de eo queritur, ipse *Prior* harum S. Monialium esse voluit. *Daug.* De Cantricibus, in antiquis litteris obviis, vide Monum. Sc. II: 90, 136. Priorum nomen ante adventum Dominicanorum aliquid argumenti secum ducere videtur. Anno 1164 antiquissimum diploma datum est hujus claustri. Sic Claustri Omn. Sanct. An. 1180 diplomati nomina inscripserunt Abbas Claustri Omn. Sanct. & *Astriscus Prior Monialium Ecclesiæ St. Mariæ et St. Petri de Lundis.* Vide *Diplom. Arna-M.* 1).

*Diplomata*

de hoc claustro adnotat *Daugaard* 1164, 1180, 1233, 1256, 1269, 1304, 1378, 1492, 1507, 1511, 1519, 1537, 38, 1541, 1538, 1540, 1580, 1680, Addantur ex *Dipl. Capit Lund.* 1273, (n. 388), 1285 (n. 389), 1294, (n. 403), 1299 (n. 401), circa 1330 (n. 380), 1337 (n. 394), 1350 (n. 400), 1352 (n. 399), 1361 (n. 404), 1363 (n. 408), 1370 (n. 396), 1379 (n. 311), 1404 (n. 402), 1410 (n. 382), 1415 (n. 358), 1418 (n. 405), &c.

Ex *Diplom. Langebekiano* unius copiam faciamus:

1314. Ericus Dei gratia Danorum Sclavorumque Rex Omnibus presens scriptum cernentibus salutem in Domino sempiternam. Notum facimus universis, quod nos exhibitricibus presentium *Venerabilibus dominabus Sanctimonialibus claustri b. Petri Lundis* terras suas, que Rowomosæ dicuntur, quas Andreas Patersun de Alnathorp violenter occupaverat & injuste, ab impetitione dicti Andreæ & heredum suorum ac aliorum omnium adjudicamus jure perpetuo possidendas, decernentes quod dicte terre ad usum communem qui fæleth dicitur, de cetero sint, prout antiquitus fuisse dinoscuntur. Insuper dominabus predictis partem eis debitam in quodam prato Diuræmosæ ubicumque in ipso sitam quam numquam per ipsas nec per priores earum alienabant, ab impetitione cujuslibet adjudicamus jure perpetuo possidendam prout per denominacionem, in placito nostro justitiario nominatiam terre antedicte Rowomosæ & Diuræmosæ juste & legaliter ipsis exstiterant adjudicate. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Hælsingburgh an. dn. MCCC qvarto decimo feria tercia post diem b. Nic. Ep. Teste Domino Johanne Pætersun.

1477. "nærverindis Per Lang forstander i Nynne-Closter i Lundt af Wapnn."

---

1) Abbatibus majorum Claustrorum suberant Priores minorum. *Helyot.*

1555. Littera data ad "Erlig oc velfornumstig Svend Niels Hanssen Fogit udi S. Peders Closter ij Lund.

*Ex Registro Arch. R. S. Kil. Stobæi: Lunds Kloster St. Petri:*

1519: Metta Peders dotter Priorissans till S. Petri Kl. i Lund mageskiftesbref med Capitlet. 1532: Attest af n. n. att han emottagit en gård i Trelleborg till lega af Priorissan i St. Petri Closter, Christine Claes dotter. &c,

Observatio addatur: In diplomatibus cum enumerantur Cl. Scanensia, sæpe componuntur Ordines. Sic "Prædicatorum Lundis" inter Ahus, Helsingborg &c. "Minorum Lundis" inter Ystedt, Malmö &c. relata invenies. Tum haud raro *S. Mariæ* & *S. Petri* in Classe *Benedictinorum* occurrit unacum Bosö, Bäckaskog, Börringe. Exemplum infra habebis in Testam. Christiani Canonic Lund. 1299; Vide etiam, Archi-Ep. Caroli circa 1330, Archi-Ep. Jacobi 1410 &c. Cum Lundensia in uno classe proponuntur, sæpissime *Omnium Sanctorum* & *S. Monalium Lundis* connexa habes.

## 9. *Claustrum S. Salvatoris.*

*Auctores.*

*Lagerbring* Primus de illo mentionem injecit in *Libri Datici* editione. *Monum. Scan.* II. p. 36, *In libro enim: "VIIII. Kal. Mart. Olaus Laicus & Huglech primus Abbas & Monachus salvatoris Lund."* In notis: "Numerus igitur Monasteriorum Lundens. huc usque cognitus, addito cœnobio S. Salvatoris augeri debet. Quod Monasteria Brigittina a S. Salvatore nomen habeant, res est notissima." *Daugaard* inter sua IX. huic V. locum addidit. Allatum locum & annotationes ibidem deo *canonicis S. Salvatoris* sola confitetur esse argumenta, quibus claustrum nititur, nam "Om dets Stiftelse, Skjebne og Undergang veed man aldeles Intet." Negat Daugaard de Brigittinor. Ordine Lagerbringii conjecturæ & propter *Abbatem* & propter *canonicos*, *Augustinos* potius hos fratres agnoscens. (Opinionem revocavit Lagerbr. Vide in *Handl. o. Påm. III.* p. 85).

*Duobus pæne verbis* claustrum superstruatur necesse est: "Abbas primus." Sic sine dubio *surrexit* claustrum, cui præfuit *Abbas*, S. Salvatoris. At in diplomatibus, in Libro Datico & Necrologico cet. nihil de ceteris Abbatibus, nihil de Monachis vel fratribus obvium. Forsan in sæculo XII & effloruit & defloruit. Vix crediblie est, omnia vestigia Ordinis *Cisterciensis* abesse posse in sede ipsius Archi-Ep. Eschilli, S. Bernhardo amicissimi, Ordinisque propagatoris ferventissimi, pæne vero incredibile, tale claustrum Ordinisque tam celebris, si per ea sæcula, ad quorum diplomata Lun-

densia nuper attendimus, floruisset, sine omni nomine, quid? quod sine linea nominis remanere potuisset 1).

Daugaard e Libro Datico citare videtur: "*Monasterium* S. Salvatoris." Ibi non legitur 2). In *Libro Datico* & *Necrologio certas* notas claustri tantum videbis, ubi quæritur de iisdem qvattuor, quæ diplomataria nostra illustrant. De *Cl. Omnium Sanctorum* adnotatum: Ob. Tuko acolitus & *Monachus* Eccles. O. S. Lundis, Ob. Haquinus Sacerdos *Monachus* O. S. Eccl. - - Presbiter & *Monachus* de Sanctis, - - Subdiaconus & *Monachus*, - - Diaconus & *Monachus* - - - *Monachus* & Diaconus, *Monachus* de Sanctis - - Prior, *Monachus* & Sacerdos (abbates perplurimi) - - &c. &c. De *S. Mariæ* & *S. Petri Soror.* adnotatum: Ob. Thuri *Sanctimonialis* S. Marie & S. Petri, Ob. Söstrid *sanctimon.* ecclesie S. M. & S. P. Ob. Botild *Monialis* S. M. & S. P. &c. &c. De *Dominic.* Ob. Sacerdos & *professus* de *Ordine* Fratr. Prædicat. Lundis &c. &c. De *Franciscan.* Ob. Nicolaus Elemosinarius Fratr. Minor. *domus* 3) Lundens. - - Nicolaus Sacerdos de *Ord.* Fratr. Minor. Lund. Præter allatum locum de primo Abbate, nihil aliud invenies in genere ad ecclesias haud qvadrans, quam quod habeat *Canonicos* & *conversos*. Ob. Osmundus Canonicus & Sacerdos Eccles.

---

1) Aliquem connexum, licet hic nihil demonstrantem, cum claustris Cisterciensibus in Libr. Dat. & Necrol. invenies. Ruma in Gothlandia, ut in antiquis literis, hic *Guthnalia* appellatur. Vid. *Lib. Dat. XVI Kal. Maji* & *Necrol. A. XVI Kal. Maji.* Non *Gutualia*, ut præsagit Georg. Wallin, *Gothl. Saml. I. 1–8*, cui *Gutwald* (bona silva) necesse redderetur. Vide *Ci s t e r c. Gudvalla* Etiam vestigia paucissima Novævallis &c. "Ob. Arnulphus Monachus conversus S. Mariæ de Nova valle." "Ob. Gunbertus conversus S. Mariæ novæ vallis." Ob. Boso & Dominicus conversus. S. Marie Alvasteri &c."

2) Etiamsi legeretur, nihil *certi* inde sequeretur. Observandum enim est illum, qui in libro Datico scriberet latine, scandinavica locutum fuisse lingua. In illa tunc temporis basilica (Kyrka) vocabatur Mönster. In Chron. Rhythm. min. Scr. Rer. Sv. I: p. 252:

Gamble Upsala var Konungasäthe

— — — — — — — — —

Ett förgylt *mönster* på Domkyrkieberg war,
I Upsala ther nye Domkyrkia star.

In *Codice Bergmanniano* (fragm., ut opinor, interpretationis Biblicæ Doctoris Matthiæ) quam Bibliotheca adservat Lundensis, christianis injungitur officium *ga i Mönstrit*, Jesus ipse in terra circumiens, *Mönstrit* visitabat. Etiam aliis linguis templa similiter nominabantur. Vide *Ihre Gloss.* "A. S. *Mynster*, Al. *Munster*, *Monster*, Jsl. *Mustr*, Gall. Antiqu. *Monstier*, Angl. *Minster* (unde Westminster) Germ. *Münster* &c.

3) Semper *Ecclesia* S. Salv. audit; nunquam *domus*, *monasterium*, *coenobium* &c. quæ nomina frequentia sunt de claustris cet.

S. Salv. Lundis Ob. Wilhelmus Canonicus & Sacerdos Salvatoris. Nonne *potest* significare, e Canonicis Lundensibus esse illos, qui curati erant Ecclesiæ? Conversos habuit Ecclesia. Ob. Walterus conversus ecclesiæ S. Salvatoris &c. Varie explicatur nomen. Non esse *Monachum* apparet, cum in Lib. Dat. III Non Jan. legitur: "Tovi Conversus & Monachus." Nec cum in claustris *Monialium* deprehenduntur *conversi*, ad habitatores *in futurum* ipsius referantur. Lib. Dat. VI Kal. Maj. Ob. Sanctim. S. Marie & S. Petri Lundis & Menardus conversus ejusdem claustri, Gotzwinus conversus & Monachus S. Mariæ & S. Petri Lundis &c. Si explicationi Heloisæ acquiescendum: "Religionis erat de cultu terrarum et labore proprio vivere, sed quia ex debilitate non possumus, admittimus Conversos et Conversas, ut quæ per nos administrari non permittit rigor religionis, per eos adimpletur," cogitari posset de opificibus quibus uterentur urbicis & quos sibi quodam modo conjungerent claustra & Ecclesiæ Canonicorum (veluti jam Ordo quidam adhuc inter nos superstes). Quæ explicatio etiam doceret, quare de talibus raro mentio fiat in Diario Wadsteniensi ubi Monachi ipsi sunt Magistri Vitrorum, Architecti subtilissimi &c. Sed multitudo conversorum, quorum obitus in Necrologiis adnotatur & perigrinantium varietas huic explicationi inimicæ sunt. Jam ob. conversus S. Marie de Guthnalia (in Gottlandia), jam conversus de nova valle (Nydala), jam conversus S. Marie Wiberg (Wiborg in Jutia) &c. &c. Nostram explicationem addere liceat. *Conversi* in Libris Necrologicis Lund. sunt. — *Seminaristæ.* Lundæ enim accipi potest non modo Schola, ubi tribus vel septem disciplinis instituebantur, sed etiam Seminarium, ubi *Ecclesiis* inservituri quodammodo imbuerentur. Illam aperuisse videntur Canonici hujus loci, quibusdam præfecti ecclesiis urbicis 1. S. Mariæ & b. Laurentii, 2. S. Salvatoris, 3. S. Trinitatis &c. Huc et *Monachos* ("Monachos & conversos") suos longinqua claustra emiserint. In claustro Monialium Lundis erant Cantrices. Ibi conversi cantum didicerint. *Conversi* ideo dici potuerunt, quod ad vitam Ecclesiasticam *se convertissent.* Tali significatione id verbum sæpe gaudere, nemo nescit. Quam multiplice variis locis explicetur, vide *Du Cange Glossar. II.* p. 567.— 569.

Licet igitur vestigia *Abbatiæ* S. Salvatoris in initiis ipsis evanuerint, *Ecclesiæ* plurima remanserunt. Daugaard: St. Drottens eller wor Herre Christi Kirke og Sogn i Lund förekommer i nyere mindesmærker af 1445 og 1488. Langeb. III. 570. Forsan tamen *Drotten*, ut G. Wallin de Claustris Wisbyensibus scribens opinatur potius e *Trinitatis* nomine plebs formavit 1).

1) *Lagerbr. in diss. de Templ. Lundens.* S. Drottens & Trinitatis Ecclesias esse unam eandemque documentis probat p. 12.

*Sjöborgii* enim verba, "Drottens klåster begagnade Trinitatis kyrka", (*Saml. för Nord. Fornälsk. II.* 162) melius de cl. Trinit. intelligi possent.

His de *Abbatia* subsistamus. De *Ecclesia* pauca observanda, ubi de Augustinis Lundensibus quærendum est.

## 10. *Claustrum S. Trinitatis.*

### *Auctores.*

*Daugaard:* "Endnu mindre veed man om den Hellige Treenigheds Kloster i Lund, men at det har været, er vist."

Hic *Unicus Abbas* Johannes. Vixit 1164—92. In Lib. Dat. XIII Kal Dec. Ob. Johannes Abbas S. Trinitatis Lundis (ante an. 1304 eum mortuum esse locus ipse, ni fallor, docet.) *Multi Canonici* In Libr. Dat. Ob Thori Canonicus & Sacerdos S. Trinitatis Lund. Ob. Paulus Sacerd. & Canon. Eccl. Trinit. Ob. Nicol. Sacerd. & Can. Eccl. Trinit. Ob. Asel Canon. S. Trinit. Lundis (at Ob. *Frater* Martinus Sacerdos & *Monachus* S. Trinit. de Owith). *Plurimi Conversi:* Hugo Conversus individue S. Trinitatis, Stille Conv. Eccl. S. Tr. Alvidus, Kälo, Elias, Trudo, Bo, Gummi, Tuli, Olaus, Bonde, Torstanus, Laurentius &c. &c. Conversi Eccl. S. Tr.

### *Diplomata.*

1151. *Eugenii III Papæ, Bulla, qua conceditur Abbati & Fratribus de S. Trinitate Lundis testatio in foro, quum non Actores adessent, ubi ipsi procuratorum officiis fungi didicerint.*

Quod diploma in historia juridici studii nostra observatione dignisissimum frustra quæris in *Diplom. Svec.*, *Diplom.*, *Arna Magnean.* (ubi tamen Bulla adest ejusdem Papæ eodem anno de Esrom data) in *Bullario Magno* &c. Suhm id commemorat *Hist. af D. VI. p.* 103. Forsan id habebis in *Collectione Decretalium Paris.* 1609 *fol. p.* 40, quæ inter omnia conjuncte (& confuse) citata Suhmii locum habet. In *Decretalium* editione Parisiis 1601 mentio quædam de concessione leviter injicitur.

1164. In *Florentii Canonici S. Laurentii Lundensis abdicatione juris* (in prædium quoddam) post *Abbatem Marcum de Omnibus Sanctis* legitur: "Abbas Johannes de S. Trinitate. *Thorkelin I.* 18, 26.

1180. *Absalonis Archi-Ep. confirmationis Privilegiorum Eccl. Othiniensis* subscriptio: "Ego Absalonus Ep. Lund, s. s. (sic scribo), Ego Stenarus

Wexcensis Ep. Ego Marcus Abbas Ecclesie Omn. Sanct. Ego Johannes Abbas Eccles. S. Trinit. Ego Hugo Abbas de Tnmætorp, Ego Nicolaus de domo S. Laurentii Diaconus, Ego Astriscus Prior Monial. Eccleś. S. Marie & S. Petri Lundis, Ego Valbertus Abbas de Esrum. Datum Lundis."

1183. Canuti Regis Confirmationis subscriptio: Ego Marcus Abbas eccl. Omn. Sanct. Ego Thomas Abbas de insula Dei, Ego Ako Abbas de Hervatho &c. (Hic abest de Trinitate Abbas ut in ceteris subscriptionibus Diplomatum ejusdem ætatis. Vide *Diplom. Arnæ-Magnæan.* annis notatis (etiam in *Supplem.*)

1180—90. Fr. Willelmus b. Thome de paraclito 1) "pro venerabili fratre et Coäbbate suo Johanne de domo S. Trinitatis in Lundis suscepit apud clementiam Hugonis Præmonstratensis Abbatis agendum, quia quem benignioris familiaritatis gremio confovebat, et maxime cum ejus opinio a justitiæ tramite non excederet. Vir enim Coabbas fuit simplex et rectus & recedens a malo. Opinio quidem de eo læsa ad Hugonem pervenire potuisset. Sic enim sæpe illis evenit, qui condolent super contritionem Joseph "&c. *Dipl. Sv. T. I.* n. 91.

*Nonne alio loco hæc Abbatia mox quærenda?*

Johannem Abbatem de St. Trin. qui Regi Waldemaro I. mederi nequit, in Owith locat Suhm 2); Lundensem vult Daugaard. Utrisque nonne palma dari possit? Perspicuum est, Johannem tunc de Domo S. Trinit. Lundis, quem commendat S. Wilhelmus Abbati *Præmonstratensi*, huic esse subditum ejusdemque Ordinis (dubitat Daug.) Lundenses Johanni fuisse inimicos, quid? quod apud Abbatem Præmonstr. accusatores, e literis Wilhelmi suspicari licet. Ad idem tempus, quo Domino suo responderit, Claustrum præmonstr. in Owith surgit, cui etiam *Abbas Johannes* de *St. Trinitate, Ord.* sine omni dubio *Præmonsratensis*, præest. Ex quo tempore nulla vestigia *Claustri* S. Trinit. Lundis in monumentis cernuntur. Numne

"rixas, jurgia, nenias & threnos"

Lundenses fugiens ad amoenissima litora & colles, ubi jam fascinat Öwed, emigravit? Attendamus heic tantum ad Testamentum Christiani Canonici Lundensis a. 1299. Ille contribuit: Minoribus *Lundis*, apud quos sepulchrum eligerat, Ecclesiæ b. Laurentii, monasterio Herivado & Omn. Sanct. *Lundis*, monasterio in Dalby & Mon. in asilo, item cuilibet monasterio præ-

1) Vide Kungelf p. 9. 2) Hist. af Danm. VII 661.

monstratensium *in Scania* 1) it. fratribus prædicatoribus *Lundis*, fratribus prædicatoribus in Halmstathe & Helsingborgh cuilibet claustro eorum, fratribus minoribus in Ystadh & Treleborg cuilibet claustro eorum, claustro monialium *Lundis* et claustro monialium in Byrtinge cuilibet (mrch den). It. clausto monialium in Bosö. Item hospitali S. Spir. Lundis &c. &c. vide *Dipl. Capit Lund T. II.* n. 401.

## 11. (?) Mariedal

### *Claustrum Sororum in Svecia.*

*Auctores.*

*Suhm H. af Danm. XIV p.* 80. "Broder Conrad af Clarevalle Kloster, Indsamler i Swerrige og Norge af den pavelige Understötning, tilstod ved brev af 26:de Jan. 1379 at have faaet 8 lybske Gylden af Mariedals Jomfru Kloster (i Swerrige) och gaf derfor Qvitering." *Index operis* Lit. M. Mariedal Kloster i Swerrige 80.

Cum plerumque *Gottland* distincte a Suhm nuncupatur, vix crediderim, *auctorem* hic cogitavisse de claustro *Ruma* Gottlandico, quod in quibusdam actis antiquis dicitur *Guthualia*, (Guttenthal s. Dei vallis) & Gutvalia *Bona silva. (Gut-Wald).* Vide *Cisterc. Gudvalla. Fratrum* vero id erat claustrum, velut in Suecica cetera, quæ a *Valle* nomen ducebant. E. gr. Novæ Vallis (Nydala), Gudsberg i Dalom (Vallibus). Hic igitur conjiciendum. Tot modis quot coenobia in Suecia noscuntur Monialium, explicari dictum Suhmii confitemur; duobus tamen subsistamus. 1. Claustrum respicitur *Montismariense* s. *Wårfruberga*, licet lapsus calami non Suhmii sed Collectoris Papalis, id quod se extollit, depressum voluerit (Mariedal pro Marieberg). Moniales ibidem ejusdem Ordinis ac Collector s. Cisterciensis erant. 2. Non temere Spegel & Rhyzelius *Mariedal* in Westro Gothia claustri fundum fuisse opinantur, licet temere Gudvalla a Ruma divulsum ibi reponant. Vide Rhyz. l. c. p. 185 2).

---

1) Öwith & Bäckaskog.

2) Observetur aliquis secundum v. Stiernm. Adelsm. I: p. 295, *Mariedal* Vestr-Goth. antiquitus *Söderbo* dictum. Respondendum, bene a v. Stiernm. observatum esse, licet in linea sequenti observationem fere tollit, cum *Marieholm* sede Prætoria suum *Mariedal* confundens. Illud enim, nomen referens *Ducissæ Mariæ*, Carolo IX nuptæ, antea dicebatur *Tunaholm* (non *Tureholm*, ut Fryxell in Berätt. ur Sv. Hist IV: 2, p. 79) convenienter diplomatibus veteribus

Conjecturis relictis aliquid certi addendum. Extra aleam enim dubitationis positum, ab *Hermansson* & *Staaf*, inter claustra *Suecica Mariendalense* post Wadstenense & Nadendalense in dissert. an. 1727 edita enumerantibus, non Suhmianum respici. Addunt enim: "Narrat Messenius a Mercatoribus quibusdam an. 1407 exstructum;" unde luculentur apparet *Revaliense Brigittinorum* confuse Suecicum effectum esse. Quod licet graviter erratum, mirationem non injicit. In sequenti enim *Skjeminge* vicus Lalandensis & *Skeninge* oppidum Ostrogothicum ita confunduntur, ut juxta Claustrum Soror. Prædicatorum Skeningiæ, coenobium quoddam exstruitur Soror. Brigittinorum Vide *Birgittin. Skeninge.*

## 12 (†*) Petzingen.

*Claustrum in Lapponia.*

De tali cum acta publica Svecana mentionem faciunt, hic paucis res illustretur.

An. 1515 inter R. Christiernum II. & Grandem Principem Basilium de finibus Norvegiæ & Russiæ tandem convenit. Sub Basilii autem filio Jvano limitem supergressus Trifan quidam *Claustrum Petzingen* ad Munkefjord an. 1543 fundavit. *Nye Danske Magaz. II. p.* 362. De eodem quæritur in *Actis ministerialibus sub R. Gustavo I.* in Archivo Löberödensi.

A, 1556. Steno Lejonhufvud legatus est in Russiam in cujus instructione, hic 1) conservato, respondet Rex Gustavus conquestionibus Grandis Principis: "*att wi skulle hafva haft i sinnet, att skinne röffe och nederbrythe ett Clöster, liggandes vidt Warhafwa (Wårdehus) Slott, så efter wi medh*

---

ex. gr. Testam. Petri Brahe sen. Vide *Dela Gard. Arch. IV;* hoc vero nomen, auctore Lindskog (Skara Stift II: p. 69), referens *Principis Mariæ Euphosinæ* Comiti M. G. Dela Gardie nuptæ, cum antea prædium Stålhandskeanæ gentis (Vide *Dela Gard. Arch. Biogr. Stålhandske*) esset, Söderbo audiit. Nihil vero impedit, quominus Antiquitatis amantissimus Comes Dela Gardie, cujus in rebus antiquis auctores esset Schefferus & Örnhielm memoriam claustri, de quo *opinio* fuerit, vicini Mariedalensis, nomen Söderbo prædii commutaverit; quæ autem opinio (jam a Suhmio corroborata), postea ad Dom. Spegel facile pervenire potuit, cum ipse in domo comitis, filiæ ejus Sororis Magni Stenbock educator, adfuisset, licet postea ab Uxore locum nomen accepisse fama, quam Lindskog sequitur, creverit. Hæ vero conjecturæ.

1) Inter acta Legatorum Senatorum Canuti Andreæ (Lilie) & Björn Classon (Lejon) an. 1536 & 1545, & Legatorum N. Krumme, Episcopi E. Falk &c. an. 1561.]